



1735.

1663 10 VIII.
353
14

I. N. J.
DISPUTATIO JURIDICA

De
SATISDATIONE

DEFENSORUM IMPER-
FECTÆ ÆTATIS,

Quam
In Academia Wittebergenſi, Con-
ſenſu MAGNIFICI Jctorum Ordinis

PRÆSIDE

VIRO

Nob. Ampliſſimo atqve Conſultiſſimo
DN. MICHAELE FRIDERICO
LEDERERO,

J. U. Licent. longè digniſſimo, Patrono, Fautore
atq; Doctore ſuo per vitam venerando,
Publicæ Eruditorum diſquiſitioni ſiſtit

CHRISTIANUS FRIDERICUS MELBERUS,

Auenſis Miſnicus.

IN COLLEGIO JURECONSULTORUM.

Ad diem 4. Julij.

~~~~~  
WITTEBERGÆ,

Typis JOHANNIS RÖHNERI, Academ. Typogr.

ANNO M. DC. LXIII.





V I R I S

*Magnifico, Nobilissimis, Amplissimis, Consultissimis  
atq; Excellentissimis,*

DN. BURCHARDO BERLICHIO, Jcto,  
Zu Wegefardh/Waltersdorff/ Braunsdorff & Zschorna  
Hæreditario, Palatii Cæsarei Comiti, Serenissimo SAXON.  
ELECTORI à Consiliis Aulae & Justitiæ eminentissimo,

DN. CHRISTOPHORO PIERERO,  
J. U. Doct. & Practico famigeratissimo, Consiliario  
Schönburgico gravissimo, Inclytæ Reipubl. in Electorali  
Civitate Schneebergensi Prætori, Scholarchæ meritisimo,

DN. PAULO BLUMBERGERO,  
J. U. DOCTORI, & Practico Celeberrimo,

DN. CHRISTIANO SCHEUTZLICHIO,  
Reipubl. Schneebergensis Prætori gravissimo,  
Scholarchæ meritisimo,

*Dominis Mecœnatibus, Patronis, Promotoribus & Affi-  
nibus omni observantia cultu submissè ac devotè venerandis*

Disputationem hanc Juridicam

In magni favoris spem indefessam, offici-  
orum & observantiæ auctoramentum

D. & O.

CHRISTIANUS FRIDERICUS  
Melber.






I. N. J.  
DISCURSUS

De

SATISDATIONE DEFENSORUM  
IMPERFECTÆ ÆTATIS.

I.



Nvestigaturus sollicitiori curâ  
originem socialis amicitia, quâ juncti  
Mortales, varia deprehendet com-  
ment. Derisa jamdiu Sophorum  
consensu Epicuri sententia fatuitum  
effingentis concursum. Nec minus  
explodenda Musicæ instinctu, aut ne-  
cessitatis causâ ac indigentia mutua  
homines expediuisse societatem  
asserens inaniter opinio. Saniori imbutus  
doctrinâ subtilissimus *Grotius lib. 2. c. 1. n. 9.* Falsa, inquit,  
& à sanioribus Philosophis rejecta est opinio, existimantium,  
amicitiam ex solâ indigentia natam, cum sponte & natura  
nostrâ ad eam feramur. Potissimas igitur ingenitus homi-  
nibus societatis amor heic absolvit partes. Quæ sententia  
& Philosophorum Principis arrisit palato. Appellavit eò  
fine hominem τῆ φύσει ζῶον πολιτικόν. Et scitè satis Floren-  
tinus in *l. 3. π. de J. & J.* edisserit: Naturam inter homi-  
nes quandam constituisse cognationem. Unde & ser-  
mone præ brutis à Deo dotati; animi sui sensa ut aliis ex-  
primere valeant. Renituntur ideò præfractè naturæ soli-  
tudinem præ amicabili societate appetendam svadentes.

A 2

Ipsa.





Ipsa ratio recta dicitur, genus humanum servari secus non posse, nisi societatis amicæ colantur commercia. Ut enim tristissimus Protoplastorum lapsus radix omnium malorum; sic humana indigentia ex communi illò profluxit fonte. Sublevanda igitur unius inopia benevolò alterius auxiliò; ne totum depereat genus humanum. At verò quàm arctis, proh dolor! ea succurrendi promptitudo constricta primorum parentum defectione, & aucta aucti generis humani malitiâ limitibus experientiam confulenti constabit. Animus obsequens luxuriantibus cupiditatibus pessima quæq; svadet. Rapta affectuum turbine in transversum mens invidiam, dissidias, diffidentiam infelici producit partu. Imò procescit eò fastigii perveritas humana, ut alter alteri fidem adhibere detrectet. Importunâ potius siti pecuniis hinc inde corradendis etiam cum alterius jacturâ inhiant nonnulli avarè. Frena interim impensiori hominum industriâ detrimetosa illi proclivitati injicienda. Inductæ inter cætera eò sine cautiones, quibus quasi circumvallatur pravitas humana.

II. Neq; exemta illâ perversitate pupillorum imbecillitas; personâ bonisq; eorum graviori expositis periculo. Nec in deducendâ in minori constitutorum ætate, conditione opera temerè terenda. Fortunæ hominumq; ludibrio eos expositos vix ullum latere poterit. Præmaturus Parentum obitus eos commiseratione dignissimos reddit abundè. Postulat inde ipsa æqvitatîs ratio, naturæ orbatos præsidio legum relevari solamine. Prudentiorum igitur regendi consiliò pupilli: quod ob intellectus defectum, suppletoriâ aliorum egeant ope. Et quò major impuberis ætatis infirmitas; eò firmioribus præcaven-



cavendæ omnis fraudis causâ illius defensores constri-  
 gendi vinculis. Unde solidior & curiosa Legumlatorum  
 hîc non defuit assiduitas; potestate Tutorum & Curatorû  
 satisfationis onere circumscriptâ. Dignam eâ ratione  
 impræsentiarum ulteriori judicavimus operâ materiam  
 de cautionis tutoriæ & curatoriæ vinculo tractantem. Sed  
 hîc formandum antè de satisfationis quidditate judi-  
 cium, quàm ipsi nos ulterius immisceamus proposito.  
 Satisfacere compositam esse vocem vel latinæ lingvæ non  
 ignotum Tyronibus. Æquipollet in latiori sensu τὸ sa-  
 tisfacere, nominis non minus compositione, quàm fina-  
 lis causæ intuitu. Ut exigentis solutionem desiderium  
 per satisfactionem implemus; sic exigentis securitatem  
 per satisfationem. Hinc promiscuè hæc duo vocabula  
 usurpari non unius Jcti roboratur suffragiò. Apertissi-  
 ma Caji sunt verba in *l. 1. π. qvî satisf. cog. Satisfatio eodem  
 modò appellata est, qvò satisfactio.* Et adhuc clarius con-  
 fusas à Paulò illas voces videre licet in *l. 21. §. 2. π. de consti-  
 tut. pec.* Neq; tamen immorandum hîc in tædiosâ loco-  
 ram paralelorum enarratione. Certè latissimè patet vox  
 satisfactionis. Complectitur sub suò ambitu omnes fe-  
 rè obligationis solvendæ modos. Nec minus omnes se-  
 curitatis præstandæ causæ satisfactionis continentur no-  
 tione. Synonymicam eò sensu cautelæ nanciscitur vo-  
 cem in *l. 15. §. 1. π. de procurat. l. 21. π. de judic. l. 14. π. de  
 posit. l. 6. π. de pignorat. act.* Recipit tamen satisfatio lon-  
 gè strictiorem quandoq; significationem dictis hucusq;  
 quâ securitatem fidejussoribus perficiendam notat sæpis-  
 simè. Et hunc significatum nostrum inferius facturi su-  
 mus. Non negantes interim, dari & strictissimum satisfac-  
 tionis conceptum: inducti sententia Pauli in *l. 61. π. de V.S.*

A 3

Sed



Sed verò sortitur satisfactio ex opposito satisfactioem.  
Hujus diversitas juxta satisfactiois dimensuranda natu-  
ram. In eò solò ab invicem discrepant, quod illa actioni,  
hæc passioni quoad tenus videatur assimilanda. Satis-  
dat, qui cautionem præstat; satis accipit, cui cautio præ-  
statur.

III. Remotà hæctenus errorum procreatrice  
propositi jam præmenda via. Fundamentum satis-  
factiois nostræ jam ante in ætatis imperfectæ quæsitum  
favore. Constricta abundè illiûs defensorum potestas,  
nec prius exercenda, quàm pleniori impuberi vel minori  
præstitâ securitate. Quam plurima positivò inducta jure,  
præstanda ante ab illis, quàm administrationis se faciant  
participes. Præcedaneam jus civile requirit inventarii  
& libri rationum confectioem *l. 7. π. de administr. & per.  
Tut. l. 24. C. eod. l. fin. § .1. C. arbitr. Tut.* More solito in  
præsentia Tabellionis & testium consistente præcisè ob-  
servatò. Consignatis insuper in eò bonis immobilibus,  
mobilibus, corporalibus & incorporalibus. Nec omitten-  
da ab eò aliqua, præcipuè: secus quippe præsu-  
meretur dolosè, eum rem pupilli subtrahere voluisse. Et  
aliàs crassa inventarii confectiois omisio Tutorem do-  
losæ Reum facit versationis. Ut, nisi justissimâ munitus  
causâ, in id quod interest, præmissò in litem jurejurando,  
sit condemnandus. Candidè quoq; liquidò & distinctè in  
confectioe inventarii Tutori & Curatori procedendum.  
Conveniendi enim ex eò sine ulteriori probatone: rele-  
vatis ab onere probandi, quorum negotiâ fuere admini-  
strata. Secus certè vix evitaturi sunt, quò minus adversus  
eos juretur in litem, perinde ac si nullum confecerint in-  
ventarium. Neq; communi Doctorum subscripserim  
sen-



sententiæ: tribuentium testatori inventarii omnem, etiam non solennem confectionem remittendi licentiam. Inductus sæpius dictò imperfectæ ætatis favore; cujus causâ hæc confectio Legumlatorum curâ inventa. Vix igitur concesserim, legis beneficio privatam testatoris dispositionem obicem posituram. Nemo quippe in testamento suo potest cavere, ne leges in eò locum habeant, *l. 55. π. de leg. 1.* Nec admisura aliud ex æquitate depromta regula. Non debet alteri per alterum iniqua conditio inferri *l. 74. π. de R. J.* Tutorem insuper ad delinquendi illâ remissione invitari occasionem quem latet? Usufructuario ex parili ratione remittendi cautionem potestas testatori adempta. Quæ sententia omnium, certè plerorumque arridet palato: non destituta imperiali robore in *l. 1. C. de usufr. & l. 6. π. ut in possess. leg.* Proponenda igitur hic ulla diversitatis ratio: aut theseos nostræ firmanda opinio. Nullò certè fieri poterit modò, futurus ut remitti queat dolus, *l. 27. §. 3. π. de pact.*

IV. De cœterò motos deprehendo Doctores Justiniani auctoritate in *l. fin. §. 1. C. arbitr. Tut.* Atverò non simplicem inventarii conficiendi necessitatem Tutori esse remissam dixerim. De solenni & publicè juxta morem solitum confectò illic tractatur inventariò. Idcirco publicam tantum confectionem remitti à testatore posse asseruerim. Sed rejicienda à dictò secundum quid ad dictum simpliciter seqvela. Obligatum adhuc tutorem ad bonorum minoris in præsentia aliquorum descriptionem putaverim. Et mirari subit, concedere nonnullos, Magistratum non attentâ remissione inventarii confectionem tutori imponere debere: Quod judici pupilli magis utilitas, quam testatoris attendenda voluntas. Nullius certè  
mo-



momenti illa testatoris erit remissio. Tutori remissã inventarii confectiõẽ, compelli tñ. eum ad illam posse nonnẽ contradictoria? Qualem sortiretur effectum illa testatoris dispositio, si de frustraneõ concepta negotiõ? Nullus igitur Testatori tribuerim potestatem iis, quã pupilli favore inducta, suã contraveniendi voluntate. Et licet de factõ Testator illud onus conficiendi repertorium condonare velit Tutori; neutiq̃vam tamen obtemperandum iniquo testatoris concessui. Quod si fecerit, gravissimam dolosã administrationis incurrit suspicionem. Unde removendus ab officio quasi suspectus, & pãnis legitimis subjiciendus inventarii confectiõis immemor. Ulterius deinceps perpetuã infamiã maculã notandus, nunquam ab imperiali beneficio notã hujus absolute fructurus *l. fin. §. i. C. arbitr. Tut.* Neq̃; tamen rigorosus ille processus omisã inventarii confectiõẽ, indistinctẽ formandus. Eximuntur quandoq̃; tutores & Curatores hãc pœnã; præcipuẽ si inventarii confectio haud fuerit necessaria, ut si nihil aut parum bonorum administrandorum adesset. Sed non immorandum in prolixiori casuum illorum recensione. Ex Doctorum scriptis eam latiori operã petendam propositi svadet ratio. Magistratum interim, secus ac testatorem, inventarii confectiõnem remittere posse, nullus dubitaverim. Præprimis, si expediret, bona minorum non manifestari. Quamvis non inficer, cautum Reip. præfectum id ipsum ad evitandas suspensiones haut facillẽ permissurum esse. Pertractã igitur ad partes circumstantiarum diversitate prudentem judicem hãc procedere oportet.

V. Cæterum nec inventarii confectio securum satis reddit minorem. Juramenti insuper religione pro-

cin-



cingenda defensorum imperfectæ ætatis administratio. Ut humanis præceptis posthabitis divinam recogitent vindictam. Crediderunt Legumlatores, neminem tam extremæ impietatis futurum, qui divini Numinis testimonium expetens promissa non servaret. Tenentur igitur jurare, se, quæ utilia putaverint, non prætermisuros, aut, quæ non utilia, haud admisuros. Omnia potius rectè & cum utilitate minoris gesturos. Patria potestas ex generatione orta liberis saluberrimè prospicere asolet. Nec tutelaris succedanea legum auctoritate alium servatura ordinem. Utraq; ope alienâ indigentibus auxilio suò succurrit. Justinianus in l. 27. C. de Episcop. aud. à curatore furiosæ eam exigit juramenti præstationem. De Tutoribus si imploratus similiter fuisset, idem dubio procul rescripsisset. Præcipuè quod is generaliter in Nov. 72. cap. fin. requirat, ad curam accedentes sacrosancti Evangelii tactione ut jusjurandum dicant. Ratio, quæ in curatoribus, & in tutoribus est militatura. Eandem igitur decisionem quoq; & juris dispositionem obtinere oportet. Respicientes sic tutores & curatores ad divinam ultionem ita facturi gubernationem, ut in rebus suis. Expressius impuberi & minorenni ætati provisum à Carolo V. in August. concil. Anno 1548. Reformat. polit. sub tit. von der Pupillen und der Minderjährigen Kinder Tutorn und Vormündern. Ut & à Rudolpho II. in Reformat. Polit. Francofurt. de Anno 1577. sub tit. von der Pupillen und Minderjährigen Kinder Tutorn und Vormündern. Additum in hisce constitutionibus & alia majoris securitatis ergò cautio: quâ Tutores & curatores Judicis decretò tutelæ curave administrationem suscipere tenentur. Antiqua juris civilis curiositas decretum non

B

desi-





desiderabat. Scientiæ tempus illis administrationem imponebat. Hinc cessantes protervè destituti legitimâ excusatione debitam inconsideratæ suæ negligentiae luere habebunt poenam. *l. 1. §. 1. π. de administr. & pericul. Tut.* Et hæc melioris cognitionis futurorum & dilucidioris ordinis causâ prælibâsse sufficiat.

VI Prospectum itaq; sufficienter modis prædictis insigni minorum favori asfereret quispiam. Sed verò vix poterit scrupulosa hominum curiositas protervæ calliditati obviam satis ire. Præcipuè, quod infirmum hujusmodi ætatum consilium & multis captionibus suppositum, multorum insidiis expositum, teste Ulpiano in *l. 1. pr. π. de minor.* Quò majus igitur speciosæ fraudulentiae subest periculum; eò pluribus defensores illius ætatis caute- larum refrenandi modis. Unde & satisfaciendi onus, rem pupilli vel minoris salvam fore, dictis defensoribus injungunt fructiferæ, tam antiquorum, quàm novorum jurium dispositiones. Supervacuum hanc satisfactionem dixerit aliquis, quod actione tutelæ ad damni perpesi recuperationem pupillo satis sit provisum. Verum, cum bonæ ejusvis fortunæ ludibrio exposita, præscindi facillè poterit minori suum à Tutore resarciendi copia. Ut ipsi met homines Imperatoris judicio in *§. 3. Inst. quib. ex caus. manumitt. puls.* sperant de facultatibus suis, quàm in illis est; Ita & ea opinionis larvâ decipi facillè poterit minor de defensoris sui divitiis. Sed eventus infelix atis constat facillè minori tutelæ finitionem expectanti; præclusâ omnî ad damni recuperationem ob tutoris inopiam viâ. Consultius ideo curiosa Legumlatorum provisio judicavit minorenni, ut intacta ejus jura servarentur, quàm post vulneratam causam remedium non rarò frustraneum quaeretur.



reretur. *l. ult. C. in quib. caus. restit. in integr.* Et eum scopum adepti facile Nomothetæ, quod arctiori satisfactionis vinculo defensores imbecillioris illius ætatis constringendos sanciverint.

VII. Neq; ullò prætextu illi satisfactionis legi dictos defensores. se subtrahere posse deprehendo; nisi ab ipsâ lege eò exempti onere. Pro Patrono certe summa militat præsumtio, eum liberi tutelam fideliter administraturum. Inestimabilem quippe liberti cum concesserit libertatem, non erit dubitandum de ardentiori ejus affectu. Operaturus hic fortasse liberationem à satisfactione; quod omnis hæc ratione exulet fraudulentæ gestionis suspicio. Nihilominus graviolem illam præsumptionem vincit insignis ætatis imperfectæ favor. Hinc sufficientem illius habuisse curam Romano vel ex eò patet, quod patronum & ejus liberos liberti tutelam suscepturos satisfactionis oneraverint præstatione. Neq; tamen simpliciter & indefinitè ob honorem & præsumptionem pro patrono militantem hæc acceptanda. Causæ cognitionem præviã ob circumstantiarum diversitatem requirit Ulpianus in *l. 5. §. 1. π. de Legit. Tut.* Persona Patroni si fuerit honesta, concurrente præsertim substantiã minoris modicã, remittenda ipsi satisfactio. Minus enim Patroni existimationi conveniens censendum, ut hanc satisfactionis contumeliam suscipiat. arg. *l. 17. §. 2. π. de Test. Tut.* Secus res comparata, si persona Patroni vulgaris, aut minus honesta. Neq; enim tanta posteriori modo subest præsumtio, ut à maximè favorabili imbecillioris ætatis securitate non possit superari. Ne utiquam igitur Patronus eò respectu satisfactioni se subtrahere potuit. Neq; legitimi Tutores de eã sibi gloriari possunt immunitate: quod



lex eos judicaverit idoneos. Lex etenim non singularem  
& certam personam, sed simpliciter agnatos vocat. Neq;  
lex ob circumstantiarum varietatem inquirere & dijudi-  
care de personâ potest. *Bachov. ad Inst. pr. de satisd. Tut.*  
Universaliter potius heic formanda regula: nullos planè  
imperfectæ ætatis defensores satisfactione exemptos, nisi  
speciali legis beneficio fuerint excepti. Subjiciendi itaq;  
præsenti discussioni iidem; non exceptos ut eò feliciter in-  
telligamus.

VIII. Primum locum Tutoribus testamentariis  
cum Imperatore *pr. Inst. de satisdat. Tut.* adscripserim.  
Juris Tyronibus notum, Tutoris dationem patriæ pote-  
statis præsentare effectum. Potest scilicet pater liberis  
suis impuberibus, quos in potestate habet, testamento aut  
codicillis testamento confirmatis Tutores dare §. 3. *Inst. de  
Tutel.* Et ita dati Tutores quoad omnes effectus legitimè  
censentur dati. Immunes itaq; non immeritò judican-  
tur à satisfactionis onere. *l. 4. §. 1. 17. π. de Testam. Tut. l. 27.  
C. de Episcop. aud. l. 7. §. 5. C. de curator. furios.* Fides enim il-  
lorum & diligentia ab ipsò testatore approbata satis, ut aliâ  
ulterius satisfactione haud onerandi. Tanta quippe pro  
paternò consiliò affectuq; militat præsumptio, ut omnium  
optimè filiis paternâ judicetur prospectum dispositione.  
Succedit testimonium paternum in locum satisfactionis.  
Quid autem si Tutor testamento datus lapsus sit facultati-  
bus, aut celata ante vel ignorata morum emerferit impro-  
bitas? Non scriptura testamenti aut codicillorum, sed pu-  
pillorum utilitas attendenda perpetuò. Recedendum  
igitur Prætori ab ordinariâ legum dispositione. Ex æquò  
& bonò interpretanda patris voluntas, nè contrarium for-  
tiatur effectum. Salutem pupilli intendit pater filiis Tu-  
torem



259

torem constituens. Sed in perniciem & incommodum horum illa datio hæc ratione redundatura facilè. Oneratus itaq; graviore suspitione per illam immutationem compellendus ad satisfactionem *l. 8. 9. 10. π. de confirm. Tut.* Et licet aliquis Tutor sit datus à patre in testamento minus justò, aut modò legum præcepto haud conformi, confirmandus tamen à Prætore sine inquisitione & sine satisfactione *l. 1. §. 2. & l. 3. π. de confirm. Tut. l. 1 & 4. π. de Test. Tut.* Unde Tutor à patre filio emancipato aut puberi datus, immunis à satisfactione, ob paterni consilii affectusq; vigorem, perhibendus.

IX. Dicta immunitate gaudent tutores ex inquisitione dati. Distingvenda hîc accuratè inquisitio prætoris voluntatis testatoris durationem spectans ab inquisitione personæ Tutoris idoneitatis. Inquisivisse quandoq; Prætorem, an voluntas patris Tutorem filio constituentis duraverit, testis est Tryphoninus in *l. 8. π. de confirm. Tut.* Ast ea inquisitio in præsentia haud locum occupatura institutò. Personalis inquisitio hîc satisfactionis operatur immunitatem. Consistebat ea generaliter in morali quadam pupillaris commodi promotionem concernente habilitate. Specialem autem eorum, quibus absoluta inquisitio illa, delineationem desiderans remittendus ad Modestinum in *l. 21. π. de Tutor. & Curat. dat.* Tributum primitus ex Lege Attiliâ juri dandi Tutorem Romæ Prætorum cum majori parte Tribunorum plebis: In provinciis præsidibus *l. Juliâ & Titia.* Traductum deinceps illud ex Claudii Imperatoris constitutione juxta *Svetonium in vita ejus c. 23.* ad Consules. Successit postea sanctio M. Antonii, teste *Capitolinò in ejus vitâ,* quâ Prætores Soli exclusis Tribunis eò dotati officio: dicti inde Prætores tutelares.



res. Causa hujus constitutionis præcipua priorum legum imperfectioni adscribenda. Satis videlicet pupillorum favori iis non videbatur prospectum. Omisssa quippe præscindendæ omnis fraudulentæ Tutorum satisfactio rem pupilli salvam fore. Nihil insuper de compellendis certis & determinatis remediis ad Tutelæ administrationem tutoribus constitutum. De utroq; etenim prioribus legibus nihil fuisse dispositum testatur Imperator in §. 3. *Inst. de Attil. Tut* Sed sublata iterum hæc constitutio Antonina consuetudine, & Romæ Præfecto urbi ac Prætori, in provinciis verò Præsidibus & Magistratibus municipalibus, jussu Præsidum præcedant, datio Tutoris concessa. Referebant nempe Magistratus municipales ad præsidem provinciæ totum constituendi Tutoris negotium. Imò transmittabant simul nomina eorum, quos idoneos ad tutelæ administrationem ipsi judicaverunt. Et si præses nomina eorum ab alio fortè acceperit, ob majorem certitudinem ea remittebat ad Magistratus municipales, ut ipse de nominibus acceptis eò accuratius instrueretur. *l. 1. §. 3. π. de Magistr. conv.* Hoc itaq; modo præses informatus de Tutoris constituendi modis facultatibusq; si idoneum eum pronunciasset, hic ex inquisitione datus dicebatur. *l. 5. l. 7. §. 1. π. de confirm. Tut.* Et hic ulteriori non onerabatur satisfactio, quod fides inquisitionis cedat pro vinculo cautionis. Sin verò ipse Præses tutores nominatos ad Magistratus Municipales remittebat, hi cautionem ab illis exigere habebant necesse, per *l. 1. §. 5. π. d. t.* Nec obicem ponit huic sententiæ Ulpianus in *l. 3. π. de Tutor. & Curat. dat.* jus dandi Tutores omnibus Magistratibus Municipalibus adscribens. Videntur quippe Magistratus Majores cum pleniori quadam libertate sine omni limita-



mitatione per excellentiam jus dandi Tutores possedisfe. Magistratus autem Municipales speciali modo habebant potestatem dandi Tutores; concurrebat tamen præcedens jusus & admonitio Præsidis §. 4. *Inst. de Attil. Tut.* Gaudebant enim Præsides provinciæ jure quodam universali dandi Tutores etiam singulorum municipiorum pupillis. Idcirco non poterant Magistratus municipales jus dandi Tutores à lege concessum exercere, antequàm Præsides jussu & præcepto suo, quod ipse Tutores dare nolit, declaraverit. Quo ipso non quidem mandavit Magistratibus Municipalibus jus dandi Tutores; jure tamen aliàs concessio iis uti permisit. *Bachov. ad Treutl. vol. 2. disp. 8. th. 1. Lit. E. & ad Inst. §. 3. de Attilian. Tut.* Non inconueniens Legati Proconsulis heic exemplum. Concessum eidem specialiter ex D. Marci oratione jus dandi Tutores *l. 1. §. 1. π. de Tutor. & Curat. dat.* Exercere tamen id ipsum non poterat legatus, nisi mandatum Proconsulis præceserit *l. 13. junct. l. pen. π. de off. procons.* Parili ratione Præsidis & Prætoris ad exemplum Præsidis Tutores constituentis demandatio, non causa efficiens dationis Tutoriæ reputanda, sed tantum causa sine quâ non, aut necessarium antecedens. Quicquid sit, immunes certè à satisfactionis onere Tutores dati à Magistratu Majori.

X. Causam illius eminentiæ magnitudini dignitatis officiorum illorum adscripserim. Elegantissima Aurelii sententia in *l. unic. §. 1. π. de off. præf. præt.* hic ad partes vocanda: *Credidit Princeps, eos, qui ob singularem industriam, exploratâ eorum fide & gravitate ad hujus officii magnitudinem adhibentur, non aliter judicaturos esse pro sapientiâ ac luce dignitatis suæ, quàm ipse foret judicaturus.* Interim nunquam inficias iverim, potuisse Magistratus Major-





Majores potestate dandi Tutores præditos, vel per se, vel per scribam satisfactionem exigere. Edoctus sententiâ Ulpiani in *l. 2. § 3. π. Rem pupilli salv. fore. § l. ult. C. de Magistrat. conven.* Atverò utilitati pupillorum repugnare eam Majorum Magistratum eminentiam putaret fortasse aliquis? Reponendum, nihil hîc contra pupillorum patrari utilitatem. Incivile potius visum, Viris spectatæ fidei ac diligentæ satisfactionis exigendæ onus imponi. De cætero constat ex dictis, defensores imperfectæ ætatis ex inquisitione datos satisfactionis dotatos immunitate. Accensendi iis Tutores à matre in testamento dati. Non poterat mater filiis Tutorem constituere, quod tutoris datio sapiat effectum patriæ potestatis. Sed cum hujus sit incapax mater, nec de illâ sibi gratulari habebit. Materna interim affectio, nê penitus censeatur posthabita, matri quidem datio Tutoris concessa; Prætoris tamen vel Proconsulis confirmatione accedente. Illa autem confirmatio supponit inquisitionem, secus ac de patre filio emancipato tutorem dante superius asertum *l. 4. π. de test. Tut. l. 2. pr. π. de confirm. Tut.* In duobus potissimum emancipato filio tutorem daturus pater maternæ præpositus conditioni. Potest Pater & filio ex hæredato dare Tutorem: Mater verò non nisi instituto, *l. 4. π. de Test. Tut.* Nec obesse potest *l. 4. C. eod.* neq; expungenda temerè particula *non.* Aliarum conciliationum copia textuum correctionis producit defectum. Sed & Tutorem à patre filio emancipato datum sine inquisitione confirmatum superius deduxi. Ast materna Tutoris datio inquisitionis desiderat solertiam. *d. l. 4. π. de Test. Tut.* Diversitatis ratio in difformi patris & matris conditione quæritanda. Affectio utriusq; præsumenda eadem; at  
judi-



judicii ac consilii distantia diversum illum operatur effectum. Nota sexus muliebris infirmitas impedimento, quò minus æqui salubri ac salutari filio censeatur prospexisse consilio, ac pater. Cum plerumq; etiam ipsius foeminae adversus commoda propria inveniatur laborare consilium *l. 4. C. de sponsal.* Multò magis igitur in alienorum cõmodorum promotione ea imbecillitas sibi locum vindicatura. Supplendus itaq; is defectus diligentiori tutoris ab eà dati inquisitione. Et hanc ipsam insignis illius eminentiæ, quâ tutor à matre datus satisfactione exemptus, exstitisse causam dixerim.

XI. Eadem gaudent prærogativâ Tutores dati à Patrono impuberi liberto, modò fides congruat inquisitionis teste Papiniano *in l. 28. §. ult. π. de Test. Tut.* Sed & de curatore furiosi quæstio olim agitata. Distinctionis ope eadem decisa ab Imperatore Justiniano *in l. ult. §. 6. C. de Curat. furios.* Si nobilis furiosi fuerit persona, coram florentissimo Senatu ex inquisitione curator nominabatur. Sin verò ignobilis furiosi exstiterit persona, coram solo urbi præfecto negotium id expediebatur. Et quidem Curator constituendus, si idoneam possederit substantiam, sine satisfactione nominatio ejus procedebat. Ex diversò curatore locuplete non existente satisfactionis is onerabatur gravamine. De matre adhuc quædam novissimâ juris occasione subjicienda. Inhabilis regulariter mulier ad tutelæ officium suscipiendum. Singulari tamen ratione Justinianus *in Nov. 118. c. pen.* Matri & Avia filiorum suorum tutelam permisit. Scrupulus exinde alicui facilè poterit suboriri, an & ea satisfactionis legi subjecta. *Montanus tract. de jur. tutel. & cur. c. 32. Regulâ 7. n. 22.* affirmativam probat ex dictâ superius Nov. sed peni-

C tius





206  
tius eam inspicienti nē verbulum de satisfactione, ibidem  
reperiri prima fronte videtur: Nec prius illius subscri-  
pturus sententiæ, quàm firmiter eam probatam dede-  
rit aut rationibus, aut textibus Montanus. Verùm enim  
verò cum ex verbis Epilogi Novellæ 94, ibi: *Quatenus in  
omni pupillari substantia omnis CALTELA fiat circa res mi-  
norum custodia: & mox: subtiliter & fideiussoribus dandis.* Et  
ex ejusdem toto contextu apud eum sit teneri matrem li-  
berorum suorum tutricem satisfacere. Religio proinde mi-  
hi injicitur, à Montani olim, Senatoris Regii provincialis  
Curie Trajectensis divertisse sententiã. Nec improba-  
biliter pro tanto Icto responderi potest, se cum Novell.  
118. c. pen. id voluisse, quod, dum Imp. ibi circa matri satis-  
factionem nihil expresse immutaverit, jus antiquum illæ-  
sum manserit; nec levis est hæc ratio, pro matris satisfac-  
tione, quod sponte suã ad tutelam accesserit. Dicta hæc-  
tenus exemptos satisfacere Tutores recensuisse satis confi-  
do. Et ulterius heic immorari instituti haud permittit  
ratio. Repetenda potius generaliter superius formata  
regula: *Quicumq; à satisfactionis præstatione non sunt  
excepti, de illa sibi haud gratulari habebunt immunitate.*  
Omnes itaq; allatorum huc usq; haud contenti numero,  
satisfactionis præcisè gravandi onere. Neq; Tutoris de-  
corandus nomine, antequam satisfactionem legitimo ex-  
pedivisset modo. *Non committitur tutela,* inquit Papi-  
nianus in l. 13. §. 1. *de Tutor. & curat. dati sine vinculo cau-  
tionis.* Exhinc pronò quasi alveò fluit, administrandi po-  
testatem ante satisfactionem emissam Tutori haud conce-  
dendam. l. 3. c. *de Tut. qv̄i satis non ded.* Ulterius ex dictis  
promanant gesta ab ejusmodi Tutore in iudicio nullam  
obtinere firmitatem. Unde nullitas illa omne, quod pu-  
pillo



pillo obese videbatur, devorat. Neq; in integrum re-  
stitutionis auxilium hic desiderandum, quod ea, quæ a tu-  
tore illò gesta, ipsò jure sint irrita, juxta *d.l.3. C. de Tut. &*  
*curat: qui non satisd.* Effulget tandem ex allatis opi-  
nor arctam illam necessitatem, quæ alligati tutores satisda-  
tionis legi.

XII. Ponderanda ordine ipsa satisfactionis tutoriæ  
qualitas. Diversas satisfactionis vox in jure nostrò reci-  
pit significationes. Æquipollere eam quandoq; satisfa-  
ctioni omnes securitatis præstandæ modos comprehen-  
denti superius dictum. Sed & in strictissimò eam le-  
gere licet significacu, nudam denotantem repromissio-  
nem, *l.61. π. de V.S. l.2. π. de hered. vend.* Frequentissimè o-  
mnium pro fidejussoria & pignoratitiâ eam reperies posi-  
tam cautione. Tandem strictior hic locum occupatura  
acceptio, quatenus solis fidejussoribus præstatur securitas.  
Et in eò sensu nudæ cautioni repromissioniq; non unâ vi-  
ce in jure nostrò opposita satisfactio, *l.1. §. 5. π. de stipulat.*  
*prat. l.45. π. de procurat. l.5. pr. π. de petit. hered. l.56. pr. π.*  
*de evict. Rubr. Tit. qui satisdare coguntur &c.* Diversita-  
tem hanc satisfactionis diversæ personarum caventium  
producunt qualitates: diversis applicandæ materiis. Po-  
tissimum tamen in jus vocati de his sibi poterant gloriari.  
Nudæ committuntur promissioni rerum immobilium  
possessores, teste Jcto in *l.15. pr. π. qui satisd. cog.* Latius  
de ratione hujus privilegii disierit Bachov. *ad Treutl. vol. 1.*  
*disp. 5. th. 2. lit. C.* Videtur possessio bonorum immobilium  
ad evitacionem suspicionis fugæ, metus, latitacionis, & pe-  
riculi illusionis conducere. Ad juratoriam cautionem  
(quæ *l. pen. C. de dignit.* satisfactio fidejussoria contra-  
distingvitur) admittuntur illustres *d. l. pen.* Et privilegia-



rum hanc juris concessionem hodiernum obtinere contra Treutlerum rectius asserit, *Bachov. d.l. lit. B.* Eadem eminentiâ gaudent & illi, quibus fidejussorum idoneorum nulla copia, nec habentur pignoribus cavere queant. Jura-mento tamen primitus præsentem confirmare tenentur inopiam, *Nov. 112. c. 2. Nov. 134. c. 9. Vid. Gail. lib. 1. obs. 148. n. 6.* Fugæ autem probabilis suspicio cessationis hujus privilegii existit causa. Cautio tandem fidejussoribus, vel pignoribus facta pari vulgò ambulare dicuntur passu. Sed in aliis utraq; sufficientem præstat securitatem juris articulis. Nostra satisfactio tutoria fidejussores præcisè desiderat.

XIII. Atverò petenda altius gravioris negotii hîc suborti decisio. Per stipulationem satisfactio rem pupilli vel adolescentis salvam fore expeditam notissimi juris est. Æquiparantur in præsentem materiâ minores absentes & linguæ usus nondum capaces. Utriq; servi ministeriò dictam mediante stipulatione exigere potuerunt satisfactio. Quid autem, si minorennis servo fuerit destitutus, nec ob inopiam sibi aliquem queat comparare? Servi publici ad hujus negotii expeditionem advocanda opera, teste *Ulpiano in l. 2. π. Rem pupill. salv. for.* Ex diversò pupillos præsentem & actuali sermocinandi facultate præditos, nec non adultos, absq; illius adjutoriò stipulari à Tutoribus & Curatoribus *rem pupilli salvam fore* potuisse nullus in dubium vocaturus. Interim, cum ex stipulationis hujus qualitate satisfactio nostræ dimittenda natura, illius explanatio hîc præmittenda. Quatuor stipulationum constituit species Justinianus; Judiciales, prætorias, conventionales & communes, *tit. Inst. de divis. stipul.* Neq; ab eò dissentit Ulpianus in *l. 1. π. de stipul.*



*lat. prator.* Utriq; sanò intellecti sensu conveniunt optimè. Captari insuper Justinianæ hæc divisio posset, ac si omnes stipulationes essent conventionales. Cum enim stipulatio sit contracto juris civilis peculiaris, utiq; quoad genericam suam naturam conventionis suppositura naturam. Ast confundunt distinctissima sic argumentantes. Aliud dixerim, conventionem habere, aliud ex conventionem fieri & nasci. Et prætoræ, & judiciales habent conventionem, sed non ex conventionem proficiscuntur. Jus sui potius & officio prætoris ac judicis origo illarum adscribenda. Non discrepant conventionem & consensu, sed causa & origine conventionis interponendæ.

XIV. Judiciales igitur à merò judicis officio proficiscuntur: Prætoræ ex diversò ex merò Prætoris officio. Non negaverim interim, & Prætozem extra ordinem judicis aliquando functum partibus. Unde Prætozem non tantum jus dicere, sed etiam judicare, si voluerit, potuisse assero, *per l. 8. §. 1. D. de officio Præsidis.* Inductus communi nomine judicis, quò & Prætor reperitur designatus. In Rubricâ certè *de rebus auctoritate judicis possidendis* judicis vocabulum pro Magistratu, non judice pedaneò acceptandum. Neq; enim alius potest jubere possideri, quàm Magistratus, *l. 3. §. 1. π. de reb. eor. qui sub tut. vel cur.* Quid sit, disjunctæ & diversæ judicis & Prætoris partes in unâ personâ discerni possunt facile. Lite nondum contestatâ si Prætor quiddam pro imperiò fecerit, ut Prætor id fecisse putandus est. Sin verò lis apud Prætozem in eadem causâ sit contestata, omne, quod agit, ut judex facere intelligitur. Judici enim in strictiori sensu accepti initium à litis contestatione petendum. *l. 15. π. ratam rem haberi l. unic. C. de litis contest.* Sicut itaq; separatim

C 3

judi-





Judicis officium à Prætoris officio in unâ personâ discerni accuratè possunt; Ita & judicialis stipulatio coram Præto-  
re celebrata à Prætoriâ distingvi potest. Prætorix stipula-  
tiones dicuntur, quæ à Prætoris, ut Prætoris officio extra  
judicium proficiscuntur: id quod ex speciebus prætoriarum  
stipulationum probare de facili possem. Judiciales  
verò judex ut judex post litem contestatam interponi ju-  
bet. Omitto hic elegantissimam, quæ prætorix à judicia-  
libus quoad effectum & executionem discrepant, diffe-  
rentiam, remittens desiderantem ad *Donellum ad l. 5. π. de*  
*V. O. n. 12. & 13.* Caterum conventionales, quæ ratione à  
prædictis differant, Imperator in §. 3. *Inst. de divis. stipul.* ex-  
plicavit abundè.

XV. Superest quarta stipulationum species, quæ hic  
locum occupatura. Dicuntur stipulationes communes,  
quæ rebus exigentibus interdum auctoritate Prætoris, in-  
terdum judicis jussu interponuntur. *l. 5. pr. π. de V. O.* Pri-  
mum locum inter eas imperiali censura tenet *Rem pupilli*  
*salvam fore.* Regulariter hanc stipulationem Prætoris in-  
terponi jussu in aperto positum. Exigit quippe Præto-  
rum munus, ut curent assidue de Tutorum & Curatorum  
Rem pupilli salvam fore satisfactione. Expedi illud mu-  
nus nullo judicio intery niente. Unde Tutor jussus à  
Præto, si non caveat, non condemnatur in id, quod inter-  
est pupilli. Condemnatio enim, aut absolutio ad judicis  
ut judicis spectant officium. Extra ordinem potius re-  
mediis prætoris ad cogendum usitatis multa, vindicta  
aut pignoribus captis tutor ad gerendam tutelam com-  
pellitur *l. 1. pr. π. de administr. Tut. junct. §. 3. Inst. de satis-*  
*dat. Tutor.* Atverò de cogendi potestate ne utiqvam sibi  
gloriarî poterat judex. Jussio quippe caveri prætorix stipu-  
latione



latione magis imperii, quàm jurisdictionis dicitur in *l. 4. §. de jurisd.* Sed nec imperium, nec jurisdictionis judici ut judici competebat. Solà potius notione & judicandi facultate, non exequendi gaudebat judex pedaneus, arg. *l. 5. §. de re jud.* Quà itaq; ratione hæc stipulatio in judicialem unquam degenerare possit, non vulgaris videtur quæstio. Accuratè refellunt Theophilum pro judiciali prætoris stipulationis asserentem exemplum *Donellus d. l. n. 23.* & *Vinnius ad inst. de divis. stipul. §. 4.* Ut paucis me absolvam, negotium casus figuratione ex *l. 3. C. de Tutore vel Curatore, quis satis non dedit. expediendum.* Instituit tutor aliquis, qui satisfactionem nondum præstitit, contra pupilli debitorem actionem. Ast hic omisa satisfactionis nondum præstitæ exceptione contestatus est litem. Formatum dubio procul ita per litis contestationem iudicium, & constitutus judex. Sed deinceps certior factus satisfactionis neglectæ ad omisam antea refugit exceptionem, removens tutorem agentem. Ad missõ hæc defensione debitore imponit judex pro officio tutori satisfaciendi necessitatem. Etsi enim quæstio principaliter de Tutorum satisfactione agitata ad Prætoriam pertineat jurisdictionem, incidenter tamen, & per consequentiam, si ea in iudicium deducatur, ad iudicis spectare incipit officium arg. *l. 1. C. de ord. jud.* Neq; enim procedere alias poterit iudicium, nisi cautio hæc permittatur iudici. Et ita explicandus *Pomponius in l. 5. §. de V. O. verb. Si aliter expediri hac res non potest.* Et hæc omnia ob eum finem latiori ponderare placuit operâ, ut penitioem nostræ satisfactionis tutoriæ naturam eruere possem.

XVI. Satisfacere igitur nil aliud, quàm dare ad securitatem alicui præstandam. Negari autem vix poterit, æque





quæ securum reddi aliquem pignoribus ac fidejussoribus. Imò majorem in pignorum datione latere cautionem ex communi juris regulâ probari posset, quâ plus cautionis perhibetur esse in re quàm in personâ *l. 25. π. de R. J.* Et melius est pignori incumbere, quàm in personam agere. *l. 1. §. 1. π. de superfic.* Actio enim hypothecaria competens pro pignoris persecutione adversus quemlibet possessorem exerceri potest. Ast obligatio fidejussoria neminem, nisi qui fidejussit, ejusq; heredes solvendi necessitate adstringit. Potest autem fidejussor æquè, ac principalis ob inopiam foro cedere. Id, quod haud metuendum in pignore. Et niti videtur hæc sententia expressissimis juris textibus. Et reis & pignoribus rectè caveri asserunt JCTi in *l. 1. §. 9. π. de collat.* & *l. 4. §. 8. π. de fideicom. libert.* Moti hæc rationibus Accursiani nostram satisfactionem tutoriam æquè pignoribus ac fidejussoribus posse expediri. Atverò factam hanc satisfactionem per stipulationem Prætoris jussu regulariter interpositam superius probatum. Prætoriam autem stipulationes pro formâ desiderant fidejussores. *Prætoriam satisfactionem* inquit Ulpianus in *l. 7. π. de prætor. stipul. personas desiderant pro se intervenientium: & neq; pignoribus, quis, neq; pecunia, vel auri, vel argenti depositione in vicem satisfactionis.* Subtilissimè ex hinc distincta licet videre: cavere satisfactionem & cavere pignoribus *l. 4. §. 8. π. de fidei comm. lib.* Imò in satisfactionis respondentis satisfactioni inquisiturus definitionem tantum ad promissorum reperiet interventionem. Pignoribus itaq; si eadem tribueretur vis, non sola fidejussorum mentio esset facta, aut pignora vitiosè fuissent omisa. Et de nostrâ satisfactione minus potest subesse dubii, quod omnia juris nostri capita de eadem concepta fidejussores requirant præ-



præcisè. Consulatur l. 4. §. 4. & 7. π. Rem pupill. salv. for.

XVII. Atverò res ipsa ex dictis clara satis; sed ratio obscuri hujus negotii obscura valdè. Prætorias satisfactiones fidejussores præcisè desiderare, & tamen plus cautionis in re quàm in personâ esse, non videntur compatible. Insignis minorennium favor insignem & potioem supponit securitatem. Exigit ideò necessitas, ut hîc in illam præpollentiam fidejussorum præ pignoribus, salvâ illa communi juris regulâ, inquiramus. Quot ferè capita, tot diversæ rationes. Non immorandum nobis hîc in prolixiori earum recensione. Nominalis satisfactionis descriptio aliquid ponderis hujus negotii decisioni allatura. Cautionis vox de pignoribus accuratius prædicatur: Satisfactionis de fidejussoribus. Satisfactio ex naturâ suâ juxta Caji sententiam in l. 1. π. qvi satisf. cog. fidejussores desiderat. Superius illius vocabuli ambiguitatem evolvimus, æquipollere id ipsum in latiori conceptu satisfactioni asferentes. Sed specialior longè significatio nostræ attributa satisfactioni. In utroq; vocabulò præposita particula *satis*. Ast in annexâ voce emphatica latet abundantia. Qui pignoribus cavet etiam idoneè cavet, sed non ita cavet, prout satisfans. Hic satius & abundantius dat: h. e. ita promittit, se quid daturum, ut det insuper & alios, qui idem promittant. Cessat duplex hæc datio in pignoratiâ cautione. Dixerim igitur, nec ad verbi significationem, nec ad legis sententiam satisfactionis verbò pignorum cautionem contineri. Pignora etiam diligenti aservatione præviâ interire possunt. Neq; postquam deperierint, relinquunt heredem condemnandum in id, quod debetur. Sed fidejussoria obligatio morti fidejussoris

D haud





haud obnoxia. Transitoria potius eadem ad heredes quosvis, nec, nisi solvendò, extingvibilis. Et strictior pignorum aservatio tædiosam & molestam parit custodiam. Tenetur quippe Creditor ad exactæ diligentia præstationem, levis culpa alias subiturus pœnam. Sed fidejussorum custodia nulla à Creditore præstanda. Accedit, potuisse olim Creditores ante principalis excussionem fidejussores convenire. Pignorum autem distractio longiorem desiderabat circuitum. Fidejussores instant caventi ad solutionem faciendam, & solidiorem in agendo diligentiam adhibendam. Sed pignora negligentem & securum debitorem excitare nequeunt. Non dicam impresentiarum, Prætorem plerumq; jubere cavere de eò, quod inter est, nec certam recipit æstimationem. Pignora itaq; iis casibus haud satisfaciunt, quod eorum quantitas & qualitas sit incerta, i. e. quæ, qualia & quanta deponenda sint, sciri non potest. Unde si pro re, aut quantitate certâ cautio præstanda jubeatur, & pignora Prætor admittit. Qvò trahendi textus in *l. i. §. 9. ff. de collat. l. fin. §. 3. ff. quod Legat.*

XVIII. Qvæquid sit, motum datis superius rationibus Prætorem, ut satisfationes, quæ jussu ipsius interponendæ, datis fidejussoribus expediendas sanciverit, non improbabile dictu. Ad auctoritatem ejus & fidem id videtur spectare, ut intelligant omnes, quàm curiosè ipse in satisfatione præstandâ processerit. Et licet una dictarum rationum dissolvendi hanc difficultatem non habeat vim & efficaciam; pacifica tamen illarum conjunctio eam operatura. Neq; superius allata allatas immutatura rationes. Nunquam inficias ivi, & pignoribus idoneè caveri. At potest & inter idoneas cautiones gradualis subesse differentia. Potest una alterâ in quibusdam casibus major & ad



& ad suum ritè consequendum proclivior esse. Et illam prærogativam in fidejussoriâ satisfactione deprehendendam latius huc usq; probavi. Nec quicquam obesse potest famosissima illa juris regula: *Plus cautionis esse in re quàm in personâ.* Exaudienda eqvidem ea cum Jacobo Godofredo ad *l. 25. π. de R. J. pag. 154.* de eò pignore, cui Creditor incumbit & quod ipsi placeat, illud retinere ad cautionem, nè rem suam persequi cogatur. Notavi aliquando casum, cui illa regula applicata in *§. 14. Inst. de oblig. quæ ex delict. nasc.* Creditori si res pignori obligata sit surrepta, furti ei competit actio. Nec distinctio facienda, an culpâ Creditoris, nec nè, eadem fuerit subtracta. Ratio illius uniformis decisionis ea subjecta: quod expediat ei pignori potius in cumbere quàm in personam agere. Nec minus distinctio declinanda; an idoneum & solvendo existentem Creditor habeat debitorem, nec nè. utroq; siquidem casu illi regulæ locus concedendus.

XIX. Colligi ex allatâ decisione de facili poterit, in dictâ regulâ non institui comparisonem inter pignora & fidejussorem. Consultius potius & cautum magis Creditori, si pignus ipsi à debitore suppositum, quàm si personam debitoris tantum habeat obligatam. Et positò, per personam in dictâ regulâ fidejussorem, non debitorem, intelligi, nostræ tamen non dum id obesse potest sententiæ. Ut enim nulla ferè regula, quæ tanta polleat auctoritate ut omnibus universaliter casibus ea applicari possit; Ita & de præsentis parili ratione id asserendum. Procedere illam in contractibus privatorum facilè, concesserim; præcipuè ubi conventio de pignore dandò præcesserit. Ideò cessatura eadem in actibus coram Magistratu expediendis. Rectè disserit *Gaddæus de contract. §. com-*

*mitt.*

*mitt.*



mitt. stipulat. c. 5. concl. 21. n. 299. Prætorie satisfactiones ta-  
lem à Prætoribus formam acceperunt, quam cuiusq; privati arbi-  
trio mutare non licet. Et si itaq; illi regulæ locus esse possit in  
aliis casibus, non tamen in prætoris stipulationibus. Dicta  
hactenus facilius ad nostram applicari possunt satisfactio-  
nem Rem pupilli salvam fore. Aliàs quippe minores  
in bonis Tutorum & Curatorum statim à die suscepti officii,  
aut confirmatæ tutelæ tacitam nacti hypothecam. Et  
hæc non tantum de jure Codicis ob l. 20. C. de administr. Tut.  
Lunic. §. 1. C. de rei uxor. act. Sed & ante de jure Digestorum  
ob l. 19. §. 1. l. 20. l. 22. l. 23. π. de reb. aut. jud. possid. l. ult. π.  
qvi potior. in pignor. obtinuisse asseruerim. Ad quid itaq;  
rei particularis suppositione opus, ubi omnia bona ipso ju-  
re sunt hypothecata? Neq; de jure Novellarum satisfactio-  
nem tutoriam pignora admittere asseruerim. Mori-  
bus tandem inductum, cui jus scriptum resistebat. Non  
attendi scrupulosè illam fidejussoribus satisfaciendi neces-  
sitate sentiunt pleriq; Zang. de except. p. 2. except. 21. n.  
17. Wesenb. paratit. C. de jurisdic. Dn. Hahn. ad Wesenb. tit.  
qvi satisf. cog. n. 4. ad verba: sunt proprie fidejussores. Ad-  
mitti enim Tutores cum juramento sub hypothecâ omni-  
um bonorum bey Verpflichtung ihrer Haab und Güter /  
idem testatur Habn. ad tit. de Tutel. n. 1. verb. Id tamen  
ingenere sciendum est. Interim & illud haud invitius lar-  
gior, nullam quoad hypothecam constitutione Carolinâ  
factam mutationem. Nec Bachovii dissentientis ad Treutl.  
vol. 2. disp. 8. th. 5. lit. C. ratio obicem positura, quod in-  
utile magis sit pupillis, si expressa hypothecâ sibi prospice-  
re necesse habeant. Si quidem decretum Magistratus  
præcedaneum illam speciosam difficultatem facilè devor-  
aturum esset.

XX. Sed-



367

XX. Sed verò regrediendum ad satisfactionem de jure civili spectatam. Non sufficit, Prætorem & Præsidentem potestati exigendi satisfactionem tutoriam esse obstrictos; nisi & exequendi in refractarios dotati facultate. Subtracturi se dubio procul illi satisfactionis oneri quam plurimi: compulsorialibus remediis deficientibus. Pignoribus captis illos coercendos asserit Justinianus in §. 3. *Inst. de satisdat. Tut.* Neutiquam interim heic excludendos censuerim extraordinarios cogendi modos. Ad administrationem & gestionem tutelæ extra ordinem tutor cogendus, juxta *l. 1. pr. de administr. & periculo tut.* Utiqve igitur & ad satisfactionem, gestionem tutelarem necessariò antecedentem, parili ratione compelli poterit. Sed quid si Tutor datus adeò præfractæ frontis, ut nec hisce modis coerceri possit, in turpiori perseverans contumaciâ? Suspecti crimine eum accusandum Alexandri Imperatoris rescriptum exigat in *l. 3. C. de suspect. Tut.* Sed suspectus remotionis plectendus poenâ. Ut enim tutor, qui nondum satisdedit, ad tutelæ administrationem haud admittendus; sic admisus sine satisfactione removendus: nisi nova defectum suppleat satisfactione. Atverò remotis à tutelâ & gravior quandoq; imminet poena. Fraudulentæ & ex proæresi proficiscentis si convincatur tutor contumax intentionis, infamiæ maculandus notâ. Sin verò inopiâ & paupertate, se id oneris recusare, probare queat, tutor, dictam ante effugit poenam. *l. 2. C. de Tut. vel Curat. qui satis non ded.* Cæterum, nec illâ poenarum interminatione minorennium videbatur satisfactum favori. Poterit Magistratus, cui imposita hæc satisfactionis exactio, in exigendò negligentia facilius accusari. Omit-tens itaq; Magistratus turpiori quâdam socordiâ illam sibi

D 3

injun-





injunctam satisfactionis exactionem indemnem servare  
tenetur minorem. Consultum huic eâ ratione egre-  
giô quodam & excellentiori remedio. Subsidiariam id  
appellat actionem Justinianus in §.2. *Inst. de satisfat. Tut.*  
& *Curat.* A re ipsâ denominatio hæc desumpta; quod in  
subsidium favorabili pupillorum indemnitati eâ actio-  
ne succurratur.

XXI. Præbet dicta actio ultimum refugium præsi-  
diumq; minoribus. Prius ei locus non conceden-  
dus, quàm minoribus omni alio suum consequendi reme-  
dio præciso. Executienda ante bona Tutorum & Cura-  
torum eorumq; hæredum. Illorum si plures extiterint,  
excusio administrantem & ejus heredes primitus specta-  
bit *l. 39. §. 11. π de administr. Tut. l. ult. C. de divid. Tut.* Sed  
hisce non solvendò existentibus ad collegas propter con-  
sortium administrationis onus illud devolvendum *l. 4. C.*  
*de Magistr. conv.* Quid autem si omnis tutelæ administra-  
tioni se immiscuerint? Unum eligi & in solidum conve-  
niri posse, rescribunt Imperatores in *l. 6. C. Arbitr. Tut. l. 2.*  
*C. de div. d. Tutelâ.* Sed reliquis parili ratione solvendò  
existentibus, iniquum foret, unum tantum in solidum con-  
veniri. Quicquid sit, nulla ex eo promanat iniquitas, jus  
strictum si inspexerim, ob rationes à *Montano de jure Tut.*  
& *Curat. c. 39. n. 93. & seq.* allatas. Exigit potius favora-  
bilis minorum indemnitas strictiorem istiusmodi im-  
perfectæ ætatis defensorum obligationem & adstrictio-  
nem. *l. 55. π. de administr. & pericul. Tut.* Interim, cum de-  
fensores illorum ut plurimum coacti ad defensionem su-  
scipiendam accesserint, & illorum ratio habita. Ex æqui-  
tate videlicet beneficium divisionis Legumlatorum bene-  
volentia tributum. Unde electus, si in solidum con-  
ven-



ventus, exceptione divisionis tutus abundè, nè gravetur nimis, *l. 1. §. 11. & 12. π. de Tutel. & rat. distrab.* Sed et si conventus solidum exsolverit; aliud tamen itidem ipsi indultum beneficium. Potest illius ope petere à pupillò, ut sibi cedat actionem tutelæ adversus contutores. Interim ex dolò communi, aut propriâ culpâ convento denegatur communi Doctorum consensu illud beneficium. Vide *Montan. d. l. n. 142. & seq.* Tandem & utilem actionem, sive tutelæ, sive neg. gestorum convento adversus contutores ex communi gestu, non mandatis actionibus quid præstanti concessã esse aperti juris est: actionem quidem tutelæ per *l. 1. §. 13. π. de Tutela & ration.* ubi per rutilam act. intelligi nequibit neg. gestorũ, alias novi nihil Imp. D. Pius cavisset, quod non ante in *l. 30. π. de neg. gest. & disputatum* esset & obtinuisset. Negotiorum v. gestorum per *d. l. 30. π. de negot. gest.* cum tutor necessitate officii solvisse videatur ac ita solvendo contutorem liberaverit. Sed si testatoris, aut Magistratus concessione administratio tutelæ fuerit divisa, non indigent Tutores dati dictis hucusq; auxiliis. Ipsò jure itaq; tuti legum munimine à solidi solutione non sunt liberandi. Prout nempe divisa administratio tutelæ; ita pro parte attributa quilibet Tutorum, conveniendus *l. 2. C. de divid. Tut.* Sed de eâ haud sibi gloriari habebit concessione, qui collegam malè gerentem non fecit suspectum, aut fecit quidem, sed collusoriè aut everfis jam ejus facultatibus *d. l. 2.*

XXII. De cætero, si solidum à Tutoribus eorũmq; heredibus nondum consecutus minorennis, ad fidejussores, quibus satisdatum pupillo, actio vertenda. Nec illis demortuis, eorum heredes à conventionè pupilli hoc casu indemnes, secundum *l. 3. π. de fidejuss. & nomin. & hered.*

*Tut.*



*Tut.* Hisce itaq; modis satis superq; prospectum minorennium indemnitati facile quis asseriturus. Et Ego illud facile concesserim, si perpetuo aliqua, aut idonea satis exigetur satisfactio. Quid enim si Magistratus penitus omiserit illam satisfactionis exactioem? Ita, neminem in dubium facile vocaturum, putaverim, recte post Tutores excusos Magistratum ob comisam socordiam esse conveniendum. Neq; enim adsunt alii, inopiam tutorum eorumq; heredum suppleturi vicem. Ideo illorum ipsum Magistratum sustinere debere locum, crasior ipsius efficit negligentia. Et licet proterve illius omissionis nequeat accusari, idoneam tamen haud exactam cautionem idem est, ac si nulla exacta. Ejusdem fortis judicata, vitiose cavere, & non cavere: illegitime fieri & non fieri *l. 6. §. qui satisf. cog.* Actionem ideo subsidiariam & hoc casu contra Magistratum minorenni competere non est, qui inficias id unquam iturus. Subtiliter interim casus, quo omisa penitus satisfactionis exactio, ab eo secernitur, quo minus idonee cautum: Quasi omisa penitus satisfactione Magistratum statim conveniendum imbecillioris aetatis exigeret favor. Exactio vero cautionis minus idoneae prolixiorem admitteret circuitum: siquidem *ex §. 2. J. de satisf. Tutor.* constat, tum demum ad Magistratum, tanquam ad sacram anchoram confugiendum pupillis esse, si circa utrumq; casum suo illi non functi fuerint officio. Adsunt autem, posteriori casu fidejussores debitis licet haud praediti facultatibus, a minorennibus prius conveniendi. Inducta actio autem praesens ex *S. C. to, auctore Trajanò, factò l. 5. C. de Magistr. conven.* Et quatenus contra heredes ea competit, & responsis prudentum illius origo adscribi poterit *§. 2. Inst. de satisf. Tut. & Curat.*



XXIII. Sed ut aliàs in istiusmodi negotiis primitus investigare assolemus personas, contra quas actio dirigenda; Ita & eadem methodus heic observanda. Sunt etenim, qui neutiqvam eà conveniri possunt actione. Hæsitaverim interim, an cum Imperatore in §. *fin. Inst. de satisd. Tut. & Curat.* contra illos perpetuò, qui satisfactionem exigere solebant, hanc actionem intentari posse tutò asserere possem. Superius quippe ex *l. 2. & 3. π. Rem pup. salv. fore* abundè probatum, & Prætores satisfactionem exigere potuisse. Idem igitur & de Præsidibus asserendum. Nullibi tamen reperire licet, in eos subsidiariam actionem datam. Contrarium potius ex universali juris dispositione defendendum. Ratio hujus exemptionis eminentiæ illorum Magistratum dignitatis assignata superius. Tantum equidè tributum prudentiæ illorum, ut putaverint LLatores, non necessariam fore in tutoribus ab illis datis satisfactionis exactionem. Quomodo igitur id ipsis Magistratibus fraudi esse poterit, quod singulari erga pupillum affectu ducti, quò certius ei cautum esset, fidejussores exegerint: cum & sine satisfactione Tutorem ipsi constituere potuissent. De Minoribus itaq; Magistratibus, ut & de scribâ Præsidis, vel Prætoris id affirmandum, quod de Majoribus hætenus negatum. Damnum itaq; Minorenibus ex administratione Tutorum & Curatorum illatum legali hæc & subsidiana à Magistratibus in eventum actione resarciendum.

XXIV. Nec obest, quod Imperator in §. *ult. Inst. de satisd. Tut. & Cur.* & alios, quibus tutores dandi jus est, hæc actione eximat. Atverò & Magistratus municipales gaudent potestate dandi Tutores. Idcirco, ut & illi censeantur exempti, Imperatoris inferre videtur sententia. Sed superius in th. 9. adducta hunc scrupulum facile

E

cile



cilè exemptura. Non denegamus Magistratibus Municipalibus jus dandi Tutores. Interim circumscriptum tantum & pendens ab arbitrio & jussu Majorum Magistratum iis concessimus superius. Sed Imperator *na'* è *z*o *pl*enò & liberò tutores dandi jure gaudentes supponit Magistratus. Et hos exemptos illà actione asserit Justinianus. Illorum numero insuper assignandus ordo Decurionum, in quem parili ratione actio subsidiaria non data secundum Ulpianum in *l. i. pr. π. de Magistr. conven.* Sed si periculum in se receperit ordo, teneri eos, qui presentes fuerint, idem asserit Ulpianus. De ceterò, insignem minorennium favorem, & prolixioris agendi circuitus evitacionem exigere conventionem in quolibet Magistratum in solidum faciendam non ineptè dixerim. Non negaverim tamen, conventos solvendò existentes gaudere beneficiò divisionis *l. 3. C. de Magistr. conven.* Nisi fortè accuratior, Celsi in *l. 7. π. eod.* videatur distinctio. Dolosè si Magistratus cautionis exactorem neglexerit, in solidum actionem in eum dandam. Sed si culpà ipsius dandaxat id factum sit, proportionè quævis conveniendum. Et si à Magistratibus conventio facta, ut alterius tantum periculo tutores darentur, is, qui hoc suscepit, prius conveniendus. Sed si facultates ejus excusæ, nec satisfactum minorenni, veniendum ad collegam *l. i. §. 9. π. de Magistr. conven.* Tendit quippe hæc actio ad eum finem, ut quæcunq; ratione salus minoris & indemnitas promoveatur. Quò & illud referendum, quod peculiare huic actioni, probationem idoneitatis non minorenni, sed ipsi incumbere Magistratui. *l. i. §. 13. π. de Magistr. conven. l. ii. π. de probat.* Docturo, fidejussores, cum acciperentur, fuisse solvendò. Vel quod facti, Magistratum ritè officio suo  
fun



fundum, ideoque non facile præsumendum. Vel quod eveniens tutoris inopia præsumtionem pariat, fidejussores, eò tempore, quò accepti, haud fuisse solvendo.

XXV. Verum & natura hujus actionis ac origo latius ponderanda. Non convenire Doctores deprehendo, unde descendat hæc actio subsidiaria. Alii ex delictò eam manare & pænalis actionis naturam recipere asserunt. Quod verò ea ad heredes transeat, id ob singularem minorennium favorem receptum specialiter. Alii ex contractu hanc actionem proficisci arbitrantur, moti *l. 6. §. de Magistr. conven.* Sed neutram sententiam, quod pacè illorum Virorum dissentientium dictum esto, desiderium scrupulosius inquirentium exhaustre putaverim. Quicquid sit, originem hujus actionis & naturam ex *l. ult. §. de Magistr. conven.* petierim. Respondet ibi Modestinus, eandem in Magistratus dari actionem, quæ in tutores constituta. Sed quantum in Tutores data? Tutelæ dubio procul. Ergone directa? Vocanda hic ad partes Antonini sententia in *l. 1. C. de Magistr. conven.* Rescribit is, utilem actionem adversus Magistratus competere. Unde & ad usuras ex eodem fundamento Magistratum teneri ante citatus respondet Modestinus. Neutiquam igitur hanc sententiâ suppositâ fictionis circuitu negotium expediendum. Neque pupillorum favori tribuendum, eam actionem extra ordinem contra heredes Magistratus competere. Natura potius hujus actionis admittit, eam ad heredes transitoriam esse.

XXVI. Sed videndum hic, quid quantumve in hanc actionem veniat. Conjugendus heres Magistratus cum ipsò Magistratu. Priorem levius teneri quam

E 2

poste-



posteriorem haud difficile intellectu est. Non similiter  
tenentur, inquit Ulpianus in *l. 4. §. de Magistr. conven.*  
*heredes Magistratum, ut ipsi tenentur, nam nec heres tu-*  
*toris negligentia nomine tenetur, nam Magistratus qui-*  
*dem in omne periculum succedit: heres ipseus dolo proxi-*  
*ma culpa succedaneus est.* Cum itaque heres culpa do-  
lo proxime succedaneus sit; necesse, Magistratum ad-  
huc minoris negligentiae conveniri posse. Sed & in  
alio heredes Magistratus deprehendo sublevatos. Pro-  
bationem; fidejussore solvendo fuisse, Magistratibus ad-  
scripsimus superius. Sed de eorum heredibus id nul-  
libi licebit legere. Et odiosa restringenda magis quam  
amplianda. Praecipue, ubi legis adest silentium & nobis  
imponens silentii necessitatem. Potius heredes latam-  
tantum praestare tenentur culpam: vocata ad partes an-  
te citata *l. 4. §. de Magistr. conv.* Argumentatio igitur  
ab ipso ducta Modestino inculcat ad levis tantum cul-  
pa praestationem teneri Magistratus. Et hinc actionem  
in heredem prius non dandam, quam si evidenter Ma-  
gistratus cum minus idoneis fidejussoribus contraxerit,  
censuit Ulpianus ex D. Pii rescripto in *l. 6. §. de Magistr.*  
*conven.* Illa autem evidentia crassioris negligentiae Ma-  
gistratum facit Reum. Elici ex eo facile potest, nisi Ma-  
gistratus latam in satisfactionis exactione commiserint  
culpam, heredes eorum liberos a praesenti actione.  
Ipsos autem Magistratus in vivis adhuc existentes & ad  
levem teneri culpam ante pluribus diductum. Nec  
alia deest illam sententiam stabilieendi ratio. Ma-  
gistratum tutoris non solvendo existentis sustinere vi-  
cem inconsideratae ipsius adscribendum negligentiae. Id,  
quod insignis pupillorum favor eorumque indemnitas  
exi-



exigit rigorosè. Nè alias crassior Magistratus socordia  
in Minorennum redundet detrimentum.

XXVII. Dispiciendum igitur, quam culpam præ-  
stare teneatur Tutor. Juxta contractuum naturam tu-  
tela si foret dimetienda, lata fortè culpa tantum à Ma-  
gistratu præstanda. Famosisimas juris nostri regulas  
in *l. 5. §. 2. π commod.* propositas ponderaturo dicta arri-  
debit sententia. In quibuscunq; Contractibus sola il-  
lius, de cuius culpâ quæstio, versatur utilitas, dolus tantum  
& lata culpa præstanda. Sed in apriçò positum ad Tuto-  
rem ex tutelæ administratione nullum redundare com-  
modum. Graviori potius administrationis difficulta-  
tem & rationum reddendarum & conficiendarum con-  
tinentis defensores imperfectæ ætatis subjiciuntur oneri  
*l. 31. π. de Tutel.* Et omne, quicquid ex debitâ Tutoris &  
Curatoris diligentia emolumentum profluit, de eò solò sibi  
gratulari habent minores; exclusis illâ lucrandi spe-  
illorum defensoribus. Atverò favorabilis nimis pupil-  
lorum indemnitas majorem desiderat diligentiam. In-  
terim nec *Cujacii in recit. ad tit. de R. J. l. 23.* subscripse-  
rim sententiæ, ad levisimam tutorem adstringentis cul-  
pam. Ea præ reliquis moti ratione, quod tutor sit quasi  
procurator pupilli, & curator quasi negotiorum gestor.  
Sed utrumq; de culpâ levisimâ teneri, decisum hæctenus  
in Jctorum scholis. Vix enim eam Cujacii sententiam  
admissura Tutorum conditio, quâ ipsi inviti ad tutelæ  
susceptionem coguntur. Talis Tutorum conditio con-  
tenta omninò diligentia, qualem Patresfamiliarum re-  
bus suis adhibere solent & debent. *l. 33. π. de administr.*  
*pericul. Tut. l. 1. pr. π. de Tut. & rat. distrab.* Nullibi  
exactissima diligentissimi Patrisfam. levisimæ respon-  
dens culpæ diligentia desiderata. Nec comparatio de-  
fensio

E 3





defensorum imperfectæ ætatis cum procuratore aut negotiorum gestore superius instituta nostram ferire potest sententiam. Quæ enim in certò tertio conveniunt, in omnibus non semper conveniunt. Ductum argumentum à dictò secundum quid ad dictum simpliciter suo non destitutum vitiò. Procuratores & negotiorum gestores spontè suscipiunt negotium. Atverò nostris defensoribus etiam invitæ tutelæ & curatellæ onus imponijam ante dictum. Accuratiores itaq; Diocletiani & Maximiani sententia in *l. 7. C. arbitr. Tut.* reputanda: *Quicquid Tutoris dolo vel latà culpà, aut levi, seu curatoris, minores amiserint, vel cum possent, non acquisierint: hoc in tutela seu negotiorum gestorum utile iudicium venire non est in certi juris.*


**XXVIII.** Quocirca concludendum, ex dictis Magistratum ad damnum refarciendum levi Tutoris vel Curatoris culpà rebus Minorennis illatum conveniri posse. Sed levior omninò de herede ipsius Magistratus ferenda sententia, ipsum enim de culpà latà tantum à Magistratu defuncto commissà teneri ex *l. 4. π. de Magistr. conven.* superius probatum. Unde si Magistratus fuerit filiusfam. in patrem ejus de peculio actio danda, seu voluntate ejus filius decurio factus, sive non *l. 1. §. 17. π. de Magistr. conven.* Cæterum, quod hæredi Magistratus hucusq; tributum, idem de successoribus Minorennium asserendum. Ut illis passivè, sic hisce activè actio subsidiaria assignanda. *Non tantum pupilli inquit Ulpianus in l. 1. §. 4. d. t. sed etiam suscesores eorum subsidiarià agere possunt.* Tandem & illud hîc subjiciendum, exemptos hæc actione fidejussores & nominatores Magistratum juxta *l. 1. pr. π. d. t.*

*Tantum*  
SOLI DEO LAUS ET GLORIA!




**I**n nupta Cultor Themidos, praesaga futuri  
 Mens, Phaëthonteos juvenilis roboris annos  
 Discindi incertos studia in contraria nosti,  
 Et circumfusam ruere in sua fata juventam,  
 Instabilemque per anfractus ceu turbine ferri:  
 Principiis obstas, mollis miserere Juventa,  
 Tutoresve dari mavis, inquirere certam  
 Tutorumque fidem, cauteque satisfacere mavis.  
 Ardua, quae tentas, molimina caelica pandunt  
 Immortalem ad detecta viam, Tua gloria plenis  
 Fertur in Albiades velis, totumque per Orbem  
 gratulabundus appos.

CHRISTIANUS KLENGEL, J. U. D.  
 & p. t. Academ. Rector.



**S**cribitur hic, MELBERE, Tibi, res ardua, TUTOR:  
 Hoc probat egregie, quam tueare TUA.

JOACHIMUS Merger/  
 D. & Prof. Publ.



**M**olliculi, aspiciant formosas corpore nymphas,  
 Aut bibuli cyathos evacuare sciant:

Cordatis volupe est lustrare volumina Juris,  
 Eunomiaque sacra fonte levare sitim.

Ingenio tali solers Natura beavit  
 (Testatur specimen) pectus, Amice, Tuum.

Et quia sic libuit Musis addicere tempus,  
 Nunc iterum Themidos scandis ad alta gradu.

Gratulor, atque pio Tibi comprecor omnia voto,  
 Quae Te pro meritis ad magis alta vehant.

Prosperet & prosperet Tua facta supremus JOVA.  
 Sic Themidos corclum, Patris ocellus eris.

In gratiam Praeeximii atque Eruditissimi  
 Domini Christiani Friderici Melberi,  
 Juris utriusque Cultoris perindustrii, de  
 specimine praesenti gratulabundus,  
 apposuit

P R A E S E S.





**S**o ist es wohl gemacht/ Hr. Melber!  
Diß ist der rechte Weg/  
Der zu der vollen Weißheit führet!  
Wer immerzu so vor ihm selber/  
Ob gleich ohn Vnterlaß studieret/  
Betrit den falschen Steg;  
Das Werck trifft mit dem Willen so nicht ein!  
Das Fassen muß zu erste seyn/  
Hernach die Vbung nöthigst folgen.  
Sie mehret der Natur Vollkommenheiten/  
Bemeistert die Gebrächlichkeiten.  
Daß deren keine fort bestehn.

Man wirds nach Wnnsch an Herren Melbern sehn.

Auß wahrer Freundes Pflicht schriebs glückw.

Frank- Heinrich Höllich / Jur. Stud.

**S**o wiltu liebster Freund der Tugend hohe Spitzen  
Durch deinen Lauff hinan/ wo Fama pflegt zu sitzen?  
Wer wolte den eiteln der eiteln Wollust nach/  
Und selber auff sich ziehn ein künfftig Weh und Ach?  
Weg! Weg mit solcher Lust/ wo sie dem jungen Herren  
Allein gebieten will/ es seyne zu grosse Schmerzen/  
Die da empfinden muß/ der solches hat gethan.  
Hr. Melber thue es nicht/ er greiffte es anders an.  
Sich da er steiget schon/ man wird demselben sehen  
In kurzen/ so G D Z E will/ auffhöhern Stufen stehen.  
Es muß doch werden dir nach Arbeit/ Müß und Fleiß/  
Mein Bruder daß du suchst/ Lob/ Ehre/ Ruhm- und Preiß.  
Ach du mein auder Jch/ ich stehe dir zur Seyten/  
Jch wolte gerne dich durch alle Weg' geleiten/  
Hier müß ich aber stehn und sehn von Ferne an  
Was doch dein Wiederpart an dir tezt haben kan.  
Jch sag' nur Glück dazu/ der Himmel wolle geben/  
Daß du dein künfftig Lob nur selber magst erleben.  
Jch habe gnug an dir / wann du nur glücklich bist/  
So weiß ich/ daß bey mir/ kein Noth/ noch Unglück ist.

M. JACOBUS BEH M, Lubec.



ULB Halle  
002 618 818

3




5b


1077











1735.

1663 10 V.M.M.  
353  
14

I. N. J.  
DISPUTATIO JURIDICA  
De  
**SATISDATIONE**  
DEFENSORUM IMPER-  
FECTÆ ÆTATIS,

*Quam*  
In Academia Wittebergenfi, Con-  
sensu MAGNIFICI Jctorum Ordinis  
PRÆSIDE


VIRO  
NOB. AMPLISSIMO ATQVE CONSULTISSIMO  
DN. MICHAELE FRIDERICO  
LEDERERO,

J. U. Licent. longè dignissimo, Patrono, Fautore  
atq; Doctore suo per vitam venerando,  
*Publicæ Eruditionum disquisitioni sistit*

**CHRISTIANUS FRIDERICUS MELBERUS,**

Auensis Misnicus.  
IN COLLEGIO JURECONSULTORUM.

Ad diem 4. Julij.



WITTEBERGÆ,

Typis JOHANNIS RÖHNERI, Academ. Typogr.  
ANNO M. DC. LXIII.

